

nis sub initia Typographiae non semel excusa, cui perperam quidam *Matthiam Farinatorem de Vienna* Ord. Carm. autorem faciunt, qui tamen in Prologo suo nihil aliud sibi adrogat, quam Operis distinctionem in *Titulos* et *Paragraphos*, impressionisque procurationem. Prologus alter, qui ipsius Autoris est, refert quidem illum a *Johanne* Papa, qui XXII. videtur, una cum Opere suo ad se evocatum, Opusque ab ipso Papa *Lumen Animae* appellatum fuisse, nomen tamen Viri nequaquam prodit. Legi merentur vetustorum Scriptorum Nomina, quibus hic se in lucubratione sua adjutum fuisse profitetur, quanquam quivis emunctae naris fabulas ibi subodorabitur.

DLXVIII.

399 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 165. 4. caractere crasso per duas columnas exaratus, rubricisque distinctus miniatam hanc praefert inscriptionem: *Incipit prologus in opusculum* (alius atramento: *moralitatum de naturis animalium*, subdidit) *fratris Henrici Monachi sancte Crucis ordinis Cyst.* (in Austria infer.) *nacione de Schuttenbofen.* Est haec *Bobemiae* urbecula, Autor igitur *Bobemus*, *Trithemio*, *Gesnero*, *Fabricio*, *Balbino*, quin ipsi Ordinis *Cist.* Bibliothecario *Vischio* ignotus. Praeit *Prologum* dimidia Pars *Indicis* alphab. altero dimidio ad

calcem *Cod.* rejecto, et rudis in aureo fundo pictura literae U. diversas Animalium figuras exhibens. *Prologi* initium: *Ut beatus Bernabrdus dicit in libro ad fratres de monte dei. seruum dei nunquam debere esse ociosum — Ideo opusculum subscriptum describendum* (i. e. componendum) *assumpsit ut laboris falce de ortulo cordis vepres cogitationum malarum et temptationum iniquarum spinosos aculeos preciderem — Primo determinando de homine quoad animam et corpus tamquam de digniori. Secundo occasione hominis veri et rationalis de hominibus monstruosis. Tertio de animalibus succincte in generali. Quarto et ultimo de animalibus in speciali secundum ordinem alphabeti &c.* Habes lineas Operis. De Homine porro: *Primo — probatur, quod preexcellat cetera terrestria animalia dignitate. Secundo docetur quid sit diffinitive. Tertio quid sit diuivue. Quarto determinatur de anima. Quinto de corpore humano.* Atque haec omnia rursus in plures Articulos abeunt, quibus singulis *Moralitates* suae subjiciuntur. Pars II. de Monstris et III. de Animalibus in genere admodum laconica est, eo disertior Pars IV. in qua praecipui fontes *Aristoteles*, *Isidorus*, *Liber de Proprietatibus Rerum*, qui est *Bartholomaei de Glanvilla* vulgo dicti *Anglici*, *Physiologus*, qui *Theobaldo* cuidam Episcopo adscribitur, *Plinius*, *Avicenna*, *Solinus* &c. e quibus fabulas non parca manu admetitur Noster, non tam de

2161

A S C E T I C I

2162

de vera Animalium historia, quam de eruenda inde morum doctrina sollicitus. Ultima tractatio de *Vulture*, quae finit: *ut per hec facientes vitam eternam possideamus, quod prestare dignetur nobis dominus noster ihesus christus, qui cum deo patre &c.* Subditur: *Opus*

prescriptum completum est anno domini Millesimo Ducentesimo Nonagesimo Nono Labore plurimo compilatum a fratre heinrico ordinis cysterkien. in Austria — — Reliqua extrita usque ad verfum:

Qui scripsit. scripsit quod Heinricus sibi dixit.

II. fol. 156. p. 2. absque ullo titulo *Tractatus de Processu Judiciario*, qui incipit: *Antequam de processu iudicii dicatur Notandum quid sit Iudicium et que sint species iudicij &c.* Finit: *confirmet uel infirmet sententiam uel corrigat. hec de processu iudicii et ordine dicta sufficiant.* Et habetur inter *Plurimos Juris Tractatus*, qui praevio *Modo legendi Abbreviaturas in utroque Jure*, aut *Processu Judiciario M. Johannis de Vrbach* sive *Auerbach* lucem videre Sec. XV. in f. five apud *Petrum Drach Spirae* f. a. five iterato *Argentinae* cum 1490. tum f. a.

DLXIX.

573 Codex chartaceus germ. Sec. XV. Folior. nunc 93. 4. nam et initio et medio et fine quaedam defunt, continet Asceticum Opus *Henrici Susonis*, dicti alias *Amandi* aut *Johannis a Suevia* O. P. *Constantiensis*, qui annum 1365. extremum habuit, quod germanice et latine ab eo editum Latinis *Horologium Sapientiae aeternae*, aut *Dialogus Sapientiae et*

Ministri ejus inscriptum est. Cum *Laur. Surius* hoc Opus a se e Germanico verfum in latinum *Coloniae* primum 1555. 8. vulgaverit, dubitari posset, an illud jam prius hac lingua extiterit, nisi *Surius* ipse contra *Versionem* antiquam conquereretur, quae, ni vehementer fallor, ipsius *Susonis* est; recitatur enim in *Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 654. e Cod. Colbert. Prologus Horologii* latinus directus ad Magistrum generalem *Ordinis Hugonem de Vaucemain Gallum Autissiodor.* cujus utpote germanicae linguae ignari iudicio *Librum* hac lingua scriptum certe substernere *Suso* non potuit. In *Cod. nostro* ab his verbis incipit: — — *daz ich dich wider precht zu deiner wirdichait. Ich pin es dy weisheit die den pittern tod bat erliten &c.* Et abrumpitur: *Es ist nicht das ainen menschen also erlaucht seinen mut vnd erleucht sein leben — —*

DLXX.

Codex membraneus lat. Sec. 483 XV. Folior. nunc 196. 4. per duas